DE

ERYSIPELATE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA GRYPHICA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XIV. MENS. JANUAR. A. MDCCCXXXVI

PUBLICE DEFENDET 1836

AUCTOR

CAROL. OSWALD. STOCKMANN

SAXO.

OPPONENTIBUS:

W. STABENOW, DR. MEDIC.
C. RIESEBERG, MEDIC CAND.
H. STRUCK, MEDIC. CAND.

GRYPHIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE. REG. ACAD. TYPOGR.

V I R O

CELEBERRIMO, ILLUSTRISSIMO

F. A. G. BERNDT

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI,

POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, MEDICINAE PRACTICAE, ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, CLINICI MEDICI ET OBSTETRICII GRYPHISWALDENSIS DIRECTORI, FACULTATIS MEDICAE PESTHINENSIS MEMBRO HONORARIO AC SOCIETATUM DOCTARUM COMPLURIUM SODALI H. T. FACULTATIS MEDICAE PRODECANO,

PRAECEPTORI AESTIMATISSIMO

FAUTORI SUMMOPERE COLENDO

HASCE

JUVENILES PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Caput I.

Nomina morbi.

Eryſipelas (derivatum ab ἐρυσός, ruber et πέλας vicinus, aut παρὰ τὸ ἐρύεσθαι ἐπὶ τὸ πέλας, id eſt, quod ſe in vicina loca trahit), Erythropelas, Roſa, Brunus, Icteritia rubra, Ignis, Ignis ſacer, Ignis St. Antonii [1]), Ignis ſylveſtris ſ. ſylvaticus, Erythema, Febris eryſipelacea, die Roſe, der Rothlauf, das wilde oder heilige Feuer, die Schöne, das Glockfeuer ꝛc. Fr. Eryſipéle, la Roſe, le Feu de Saint Antoine, Feu ſacre, Mal des ardens. Agl. St. Antony's Fire, Eryſipelas'etc.

Literatura.

Literatura eryſipelatis permagna eſt, et omnes, qui ipſum tractaverunt, enumerare longum eſt, qua propter praecipuorum tantum mentionem faciam.

Plouquet, Literatura medica digeſta. Tubing. 1808. et 1813. ſ. eryſip.

Schenk, Diſſert. ordo et methodus curandi et ſcrutandi febrem eryſipelatoden-roſam. Jen. 1616.

---

1) Nomine „ignis ſacer" nonnulli ſcriptores zonam et alias eryſipelatis ſpecies notant; item nomine ignis St. Antonii alii zonam intelligunt, quamquam ſub igni St. Ant. in Memoir. de la ſocieté de Medicine ann. 1776. p. 200—302. omnino alius morbus deſcribitur.

Fr. Hoffmann, Diſſ. de febre eryſipelacea. Halae 1729.
Ch. G. Richter et Stark, Diſſ. de eryſip. Goettg. 1744.
Thom. Dale, de eryſipelate. Edinburgi 1775.
Lorry, von den Krankheiten der Haut, aus dem Latein. überſetzt von Held. Lpzg 1779. Bd. I. S. 359
Ammon, Diſſ. de eryſipelate ejusque ab inflammatione diverſitate. Harderov. 1790.
L. H. Winkel, aphorismi de cognoſcendo et curando eryſip. Erlang. 1794.
W. Chr. Ferne, Diſſ. de diverſa eryſipelatis natura. Francof. ad Viadr. 1795.
J. E. Secourt-Gantelly, eſſai ſur l'erythême et l'eryſipèle. Paris 1804.
L. Terriou, eſſai ſur l'eriſipèle, conſideré dans son état de complication avec la fièvre adynamique. Par. 1807.
E. V. Cloſier, Diſſ. ſur l'eryſipèle, ſes variétés et ſon traitement. Paris 1809.
Hildebrand, ratio medendi. Vienn. 1813. T. II.
Hutchinſon, über die Behandlung der Roſe mittelſt Inciſion, in med. Transactions. Vol. V, pag. 278. London 1814.
W. Fr. Dreyßig, Handwörterbuch der medizin. Klinik. Erfurt 1820. T. IV, pars. I, pag. 150—262.
J. N. Ruſt, theoretiſch-pract. Handbuch der Chirurgie. T. IV. pag. 424—461.
Val. nob. ab Hildebrand, Inſtitutiones practico-medicae. T. II. edit. alt. emend. Viennae 1833
Ruſt's Magazin für die geſammte Heilkunde. Bd. VIII. H. 3. S. 525.
F. A. G. Berndt, über das Eryſipelas, encyclopäd. Wörterbuch der medizin. Wiſſenſchaften. Bd. XI. H. III. S. 459—508. Berlin 1834.

Caput II.

Notio.

Prioribus temporibus nomine eryſipelatis ſignificata eſt omnis omnino ſuperficialis cutis inflammatio, cui adjunctus eſſet rubor diffuſus, prementi digito cedens, ſed preſſione ablata re-

currens. Permulti autem morbi, qui ſub hac forma exiſtunt, tam varias cauſas habent, ut ſaepe inter ſe confundantur. Noviſſimis demum temporibus Ruſt et Kluge rem ſecundum cauſalitatem accuratius determinarunt atque illuſtrarunt.

Duae ſpecies inflammationis eryſipelatoſae ſua natura et origine inter ſe diverſae ſunt, et facillime dignoscuntur, verum ſcilicet et ſpurium eryſipelas.

a) Eryſipelas verum ſemper oritur ex perturbatione organorum digeſtionis, quae perturbatio praecipue anomala et nimis adaucta bilis ſecretio conſtat, febri comite; huc accedit diverſiſſime formata cutis affectio.

b) Eryſipelas ſpurium [2]), auctore Ruſt Pſeudoeryſipelas, eſt aut ex variis cauſis externis orta inflammatio cutis idiopathica, eryſipelas ſpurium idiopathicum; aut reflexus altius ſub cute ſubditi morbi, unde per conſenſum illa cutis affectio proficiſcitur, eryſipelas ſpurium ſymptomaticum, conſenſuale. — Nihil amplius de hac differentia eryſipelatis ſpurii, niſi quod neceſſarium ſit, quo ab eryſipelate vero recte poſſit ſecerni, in ſequentibus proponam.

α) Eryſipelas ſpurium idiopathicum diverſiſſimis cutem directe irritantibus externis cauſis efficitur ex. c. frigore, calore, gravibus, levibus vulneribus etc., qua propter ab eryſipelate vero eſſentialiter diſtinguitur, quamvis ſecundum exſternam formam prorſus fere cum illo con-

---

2) Ruſt, theoretiſch-pract. Handb. der Chirurgie. Bd. VI. S. 462—476.

veniat. Praefertim igitur excitantes caufae, decurfus, et exitus alterum ab altero morbo fejungunt.

β) Eryfipelas fpurium fymptomaticum, confenfuale κατ' ἐξοχὴν pfeudo-eryfipelas [3]) nominatum, nihil aliud eft nifi reflexus altius fub cute fubditi morbi, effectus inflammationis cujusdam et fuppurationis etc. Eo autem praecipue ab eryfipelate fpurio idiopathico, et eryfipelate vero diftinguitur, quod cutis tantum in confenfum trahitur ab alio profundiore morbo. Ante omniae loci, ubi haec forma exiftere folet, colore magis violaceo, non ita aequali rubore, modo fracido modo fluctuante tumore, pulfante dolore etc. dignofcitur.

Caput III.

Defcriptio eryfipelatis veri in genere.

Eryfipelas, quod a nonnullis, Vogel [4]), Pet. Frank [5]), et Arnemann [6]) exanthematicis mor-

---

3) Ruſt über das Pſeudo-Eryſipelas, eine noch nicht hinreichend erkannte Krankheitsform. In deſſen Magazin für die geſammte Heilkunde. Bd. VIII. H. 3. S. 498. — Ungewitter, de Pfeudo-eryfipelate. Berolini 1824.

4) Vogel, Handb. der pract. Arzneiwiſſenſchaft. Th. III. Stendal 1788. S. 287.

5) P. Frank, Epitome de curand. hominibus. L. III. p. 27. §. 279.

6) Arnemann, Handbuch der pract. Medizin. Th. I. S. 175.

bis, ab aliis autem Reil[7]) et Sprengel[8]) inflammationibus annumeratur, in decursu exhibet hasce accurate observandas symptomatum series:

1) febrim, quam aut alienationes coenaesthesеos praecedunt, aut tales prodromi deficiunt; ante eruptionem cutis affectionis haec febris adest, evanescit nonnunquam cum eruptione, saepe vero etiam per longius temporis spatium perdurat;
2) perturbationes vitalitatis in systemate gastrico;
3) inflammatoriam cutis affectionem, quae in diversis corporis regionibus cum variis modificationibus conspicitur.

Plerumque erysipelas, de quo hic sermo est, affectiones quaedam antecedunt, ex. c. capitis dolores, debilitas, artuum dedolatio, lassitudo, quae aegrotantes sentire sibi videntur, somnus inquietus, anorexia, vomituritiones usque ad vomitum etc., deinde sequitur febris semper fere cum horripilationibus et insequente calore erumpens, et sub vesperam potissimum primum insultum faciens. Altero die plerumque in cute affectio quaedam conspicitur, qua apparente febris mitior fit, et saepe prorsus evanescere solet. Cutis affectio et ipsa, nisi gravior apparet, post triduum plane elevatur, cute leniter desquamata, postquam roseus color in magis flavescentem mutatus est. Neque tamen raro, si febris graviorem characterem ostendit, post frequentiores

---

7) Reil, über die Erkenntniß und Cur der Fieber. 2te Aufl. S. 366.

8) Sprengel, Handbuch der Pathologie. 3te Aufl. Th. II. S. 499.

exacerbationes ſub veſperam, et remiſſiones matutinas, ſaturatius erumpit exanthema, quod et ipſum diutius durare ſolet. Cum autem febris characterem ſynochae gravioris induit, omnia ſupra commemorata ſymptomata gaſtrica creſcunt; conjuncta vero ſunt cum his permagna anxietas, inquies, dolor praecordialis, vertigo, tinnitus ſuſurrus et ſonitus aurium, caligatio oculorum, praeſertim cum in facie, quod frequentius accidit, eryſipelas prorumpit.

Affectio localis etiamſi in diverſiſſimis corporis partibus obſervata eſt, tamen ſaepiſſime in facie et extremitatibus inferioribus naſci ſolet, in initio apparens ut parvum punctum rubrum in cute, unde in modum orbis ad omnes vicinas partes extenditur, parum, ſaepe omnino non, certe non conſpicue ſupra cutem elatum; rubor non eſt intenſus, ſed dilutus, roſeus aut pallide flaveſcens; id vero in hac rubedine maxime peculiare eſt et characteriſticum, quod preſſione illata palleſcat, remota priſtinum illico colorem aſſumat, quod ita videtur fieri, ut humores rubri, qui vaſa capillaria ſeroſa praeter normam intrant, a vi premente repellantur, iterumque preſſione ablata recurrant. — Eadem cutis affectio hanc habet proprietatem, ut facile locum mutet, et ad remotas partes tranſiliat. — Dolores in initio ſunt magis prurientes, poſthac ardentes ac tenſivi. Diffuſio, et tempus, per quod durat haec cutis inflammatio, valde imparia ſunt, de quibus infra, quando ſpecies ſingulae enumerabuntur, quantum opus erit, dicetur. Hoc loco tantum commemoretur neceſſe eſt, in caſibus livioribus ſemper fere diſſolutionem accidere ſolere, annexis criticis evacuationibus e tractu

alimentario, per cutem et urinam etc., cum cuticulae desquamatione. Rarioribus in casibus parvus oedematosus tumor remanet. Verum etiam suppuratio correptae telae cellulosae, si inflammatio altiorem gradum assecuta est, quin imo gangraena in gravissima inflammatione, observatae sunt. Item locis, in quae saepius tales affectiones invaserunt, si quidem aliae causae opportunae accedunt, indurationes oriri possunt.

Caput IV.

A. Descriptio modificationum quatenus ad generalem characterem pertinent.

α) Erysipelas mite, subinflammatorium. In hoc praeter levem aliquam localem affectionem et synocham mitiorem alia phaenomena non inveniuntur, et utraque symptomatum series evanescit certe quarto die.

β) Erysipelas gravius, vehemens, inflammatorium. Hoc priusquam ipsum prorumpit, plerumque complures prodromi antecedunt, ex. c. febris cum charactere synochae gravioris, artuum dedolatio, capitis dolores vehementiores, anorexia, nausea, horror et calor, quae maximam partem febri biliosae inflammatoriae similia sunt; ipsa autem cutis affectio, quae deinde in conspectum venit, graviori inflammationi par est.

γ) Erysipelas gangraenosum, carbunculosum, typhodes, pestilens etc.

Necesse hoc loco est, ut discrimen statuatur inter illum morbum, qui statim ab initio una cum graviore nervosa aut putrida febri provenit, et hunc, qui nihil nisi exitus malignus erysipe-

latis gravioris cujusdam est. Prioris generis erysipelata nunc temporis per raro observantur, quamquam veteres medici talia saepe descripserunt [9]. Singulae quoque observationes apud B. Chr. Vogel [10]) enarrantur, ex quibus tamen semper anasarcam simul exstitisse constat; sed temere tales casus vero gangraenoso erysipelati adscripti sunt. Ceterum e complurium medicorum descriptionibus jure colligi posse videtur, prioribus seculis talis generis maligna erysipelata ad modum epidemiae grassata fuisse, sed eorum sententiae tantopere inter se discrepant, ut accurata et distincta notitia inde hauriri non possit [11]). Hujus indolis fuit epidemicum illud erysipelas, quod nomine ignis volatici, ignis sacri, sive Sancti Antonii, Hieropyris, vergente ad finem saeculo undecimo populariter per totam Europam grassabatur, doloribus acerbis, febri ardente, summa debilitate, deliriis, tumore glandularum sub axillarium, vel inguinalium, atque celerrimo partium inflammatarum in pessimum sphacelum transitu distinctum [12]).

Secundarium quidem erysipelas gangraenosum frequentius observatur, si inflammatio ad phlegmones summum fastigium pervenit, et ad

---

9) Reil, a. a. O. Bd. II. 382.

10) Vogel, über die Rose, besonders die brandige, und über die äusserlichen Mittel dagegen in Loder's Journal für die Chirurgie. Bd. II. St. II.

11) Jussieu, Paulet, Saillant et Tessier in Memoires de la Société royale de Medic. à Paris. 1776. V. I. p. 260.

12) ab Helmbach, Diss. de morb. sacri. etc. Bas. 1610. — Hulvegius, Diss. de sacro morbo et igne. Bas. 1611. — Wallerius, Diss. de sacro igne. Upsal. 1764 etc.

ſubjectum textum cellularem protenditur, cujus proclivitas ad mortificationem, accedente negligentia, tantopere adaugetur, ut gangraena et ſphacelus facile poſſint inde oriri.

B. Modificationes quae ex diverſitate localis affectionis originem trahunt.

α) Eryſipelas ſuperficiale. In hoc affectio cutis vix poteſt inflammatio nominari, et vaſorum rete ſub extrema cutis ſuperficie affectum eſſe videtur. Saepiſſime autem hac in ſpecie vagus, ſ. erraticus character obſervatur, unde non raro translocationes incurrunt.

β) Eryſipelas phlegmonoſum. Inflammatio inde a ſuperficie profundius in partes ſub cute ſitas, praecipue in texturam celluloſam propagatur; omnia ſymptomata phlegmones prodeunt, tumor magis elevatur, magisque circumſcribitur, rubor eſt profundior et ſaturatior, dolor vehementior, pulſans, centralis, et temperatura nimis aucta in locis inflammatis ſentitur. Simulatque autem eryſipelas phlegmonoſum induit characterem, niſum quoque in metaſchematismum amittit, ac fixam retinet ſedem.

γ) Eryſipelas oedematoſum. Tumor eſt pallide rubidus, mollis, paſtaceus, qui foveolam ab impreſſo digito retinet; dolor levior, tantum pruriens; et ipſa temperatura non multum adaucta. Quae ſpecies frequentiſſime in perſonas cachecticas incidit.

δ) Eryſipelas puſtuloſum, veſiculoſum, bulloſum.

In fundo inflammato aut ſtatim ab initio, aut in progreſſu morbi modo majores, modo minores veſiculae naſcuntur, quae acrem, flavi-

cantem et glutinoſum humorem continent. Quae veſiculae poſt aliquod tempus rumpuntur, unde cruſtae conformantur, quae aut decidunt et ſanam cutem relinquunt, aut etiam ſub cruſta ulcera efficiunt. Saepiſſime in facie oriuntur [13]).

C. Modificationes quoad ſedem.

α) Eryſipelas faciei, quod frequentius accidit, in altera gena prorumpit, aut ſtabile eſt, aut ulterius propagatur; principio obſervatur punctum rubrum, ſaepiſſime in dorſo naſi, quod adeo extenditur, ut nonnunquam tota facies et capillata capitis pars, aures etc., etiam corripiantur; neque raro introrſus in membranas cerebrum circumdantes deſcendere videatur inflammatio. Plerumque hoc eryſipelas multa graviora phaenomena comitantur, quam illud, quod alias corporis partes occupat, vehementiores capitis dolores, dedolatio, laſſitudo univerſalis, deliria, ſopor et alia hujus modi. Quae ſymptomata morboſae in cerebro reactionis Wilſon [14]) affirmat ſaepe inde a principio in conſpectum venire, aut priusquam inflammatio faciei oriatur; Culln [15]) contra, quandoquidem cerebrum in conſenſum trahatur, externum eryſipelas faciei ad internas partes ſerpere dicit. Videlicet translocationes in cerebrum tali modo, ut re-

---

13) Reil, a. a. O. §. III. S. 374.

14) Wilſon, über die Erkenntniß und Cur der Fieber. Aus dem Engl. überſ. mit Anmerk. von Töpelmann. Lpzg 1804. Bd. II 119.

15) Culln, Anfangsgründe der pract. Arzneikunſt. Aus dem Engl. überſ. 2te Ausg. Lpzg 1789. Bd. II. §. 703. S. 178—179.

missa faciei affectione, encephalitis oriatur, saepe observatae sunt[16]. Schröder[17]) propagationes tales in nares, tracheam et pulmones se observasse scribit.

β) Erysipelas mammarum non rarum in gravidis et lactantibus, occupat aut unam mammam, aut utramque, unde, si inter lactationem oritur, lactis secretionem deprimere potest; sequitur quandoque vera mastitis, e qua, nisi plane dissoluta est, saepe indurationes remanent. — Similis rubedo tanquam mastitidis praesentis reflexus, in mammarum superficie conspicua, ab illo vero erysipelate tanquam spurium accurate discernenda est[18]). Praeterea serpit nonnunquam erysipelas puerperarum a pedibus ordiens, per crura, femora etc. usque ad mammas, deniqne totum corpus occupat[19]).

γ) Erysipelas extremitatum saepissime in pedibus invenitur, praesertim in hominibus, qui continuo stantes munera exercent; militibus, libidinosis potatoribus, cachecticis et iis, qui saepe ulceribus laborant. Attamen illud in juvenibus quoque observamus, adjuncta telae cellulosae inflammatione, praesertim ab articulis ordiente. Frequentissime ex refrigeratione orta inflammatio

---

16) Detmars, Dissert. de encephalitide. Halae 1800. §. 10.

17) Schröder, Diss. de febr. erysipel. Goettg. 1771. S. opusc. I.

18) v. Siebold, Handbuch zur Erkenntniß und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. Frkf. a. M. 1815. Bd. II. S. 227. §. 1160.

19) v. Plenk, Doctrina b. morbis sexus femin. Vienn. 1808. p. 148.

una cum eryſipelate incidit, quae celerrime extenditur, ſaepiusque in gangraenam transit.

δ) Eryſipelas univerſale, quod paulatim totum corpus peragrat, et facillime in tractum alimentarium ingredi poteſt.

Denique ſecundum obſervationes veteriorum quorundam medicorum internum quoque eryſipelas eſſe contenditur, ante omnes Störk [20]) et P. Frank [21]) tale quoddam ſaepe a ſe obſervatum eſſe volunt; e contrario praeclarus Richter internum illud eryſipelas non verum eſſe dicit [22]). Atque ſunt quaedam internae inflammationes, quae cum vero eryſipelate propius connexae eſſe videntur.

D. Modificationes quoad ſtabilitatem localis affectionis.

α) Eryſipelas fixum, quod occupatum ſemel locum non relinquit, et

β) eryſipelas vagum, erraticum, et repens, quod primarium locum facile relinquit, et alio loco apparet. Hoc eryſipelas vitae periculum facile afferre poteſt, ſi quidem in interna organa intrat ex c. in cerebrum, pulmones, hepar, tractum alimentarium etc.

E. Modificationes ex complicationibus.

Cum arthritide eryſipelas in arctiore connexu eſſe videtur. Nam cum arthritide laborantes ſaepe eryſipelate arripiuntur, tum hujus

---

20) Störk, Praecepta medico-practica e lingua German. verſ. per Scholuſan. Edit. alt. Vienn. 1791. T. I. p. 508. 509.

21) A. a. O. L. III. §. 280. p. 29.

22) V. Nob. ab Hildebrand, Inſtitutiones practico-medicae. T. II. ed. alt. §. 312. p. 116. Vienn. 1833.

eruptione illam depulsam esse experientia docuit. Item cum rheumatismo saepe sit complicatio erysipelatis in extremitatibus insidentis. Quae complicatio, refrigerio provocatam efficit inflammationem, quae celeriter aucta facile in gangraenam transire potest. — Inter omnes autem morbos dyscraticos maxime arthritis et syphilis sustentando et modificando in cutis inflammationem erysipelaticam tantam vim exercent, ut erysipelas universale oriri possit, quod facile tractus alimentarii tunicam mucosam in consensum trahit, atque adeo periculosissimo morbo ansam praebet.

Qui vero identidem erysipelate aegrotarunt, tantam praedispositionem ad hunc morbum retinent, ut levissima quaque causa occasionali eadem cutis affectio eodem loco effici possit. Unde praeter morbosum connexum, qui inter cutem et digestionis organa intercedit, peculiarem proclivitatem illi cutis loco inhaerere colligi potest.

F. Erysipelas recensnatorum peculiarem modificationem sistit.

In describenda hac specie auctores valde inter se dissident, quoniam inter verum et spurium erysipelas non satis diligenter distinxerunt. Recentioribus demum temporibus ab Anglis Bromfield[23]), Walsham[24]), Unterwood[25]), Gartshore, atque a Germanis Osiander[26]), Hufe-

---

23) Bromfield, Sammlung auserles. Abhandlungen zum Gebrauch für pract. Aerzte. Bd. 16. St. 2. S. 322.
24) Walsham, in der Sammlung auserles. Abhandlungen zum Gebr. für pract. Aerzte. Bd. 19. S. 565.
25) Unterwood, on the diseases of children.
26) Ossiander, Denkwürdigkeiten für Aerzte und Geburtshelfer. Bd. II. Th. II. S. 370.

land[27]), Reddelin[28]), Sybel[29]), Schmidt[30]), Heyfelder[31]), aliisque pluribus obſervata et deſcripta eſt; noviſſimis temporibus eam optime tractavit F. A. G. Berndt[32]). Verum recens natorum eryſipelas primis diebus vitae plerumque oritur, vel certe quarta ſextave hebdomade; antequam prorumpit alienationes ſenſorii communis antecedere ſolent, quae infantis inquiete in univerſum manifeſtantur. Cutis affectio ſaepiſſime in regione umbilicali, inguinali, hypogaſtrica, nec non in involutis extremitatibus inferioribus oritur, initio ſupra cutis ſuperficiem non elevatur, et paulatim, vel etiam celeriter ab aliis ad alias partes, quandoque ſuper totum corpus ſe expandit. Correptae partes, ſi majoris intenſionis eſt inflammatio, tumeſcunt, et duriores exiſtunt, quam in ſueto eryſipelati fieri ſolet, et earum color profundus vel lividus vel flaveſcens, temperatura valde adaucta. At vero dermatitis vehementer differt pro morbi intenſione; quippe in lenioribus caſibus ille durus tumor etc. deeſt; et ipſa affectio nonnunquam

27) Hufeland, über die Roſe der Neugebornen. (Journal X. II. St. 4)
28) Reddelin, Sammlung kleiner Abhandlungen u. Beobachtungen über die Roſe neugeborner Kinder und die Verhärtung des Zellgewebes. Lübeck u. Lpzg 1802.
29) Sybel, eine Beobachtung der Roſe neugeb. Kinder. (Hufeland's Journal 1811. Nov.)
30) Schmidt (Fr. A), Disquiſitiones phyſiologico-pathologicae de eryſip. neonatarum etc. Lipſ. 1821.
31) Heyfelder, Beobachtungen über die Krankheiten der Neugebornen, namentlich über Zellgewebeverhärtung, Augenentz. ꝛc. Lpzg 1825.
32) Ruſt's Magazin für die geſammte Heilkunde. Bd. VIII, Hft 3. — F. A. G. Berndt, Fieberlehre. Lpzg 1830. Th. I. S. 768—781.

poſt nonnullos dies levatur, cuticula, quae ſupra erat, deſquamata; ſed plerumque eadem alio loco eoque vicino pari vehementia prorumpit. — Hac cum affectione locali connexa eſt gravior febris; perturbationes apparatus digeſtionis, alvi liquidae et vireſcentes, aut adſtrictae, dolor colicae ſimilis, vomitus, tympanitis etc. in conſpectum veniunt. Parvuli inquietiſſimi ſunt, mammas praebitas repudiant, ejulant, quin convulſionibus concruciantur, et ſub trismo, et gangraenae ſignis mors ſequitur. — Si autem mitior extitit morbus; cutis affectio diſſolvi poteſt cuticula deſquamata; contra ſi neglectus altiorem gradum conſequitur, non raro indurationes telae celluloſae reſtant; etiam poſt paucos dies gangraenam evolutam eſſe obſervatum eſt. Saepiſſime eryſipelas recensnatorum mortem eo affert, quod in interna nobiliora organa ingreditur, id, quod hic perinde atque in iis quos ſupra memoravimus caſibus, fieri poteſt. Omnino autem hoc malum in rarioribus morbis numerandum eſt, ceterum omnes jam in univerſum expoſitas eryſipelatis differentias aſſumere poteſt.

Caput V.

Aetiologia.

A. Cauſae disponentes.

Peculiaris diſpoſitio, quam quidam, ut Delius [33]) Lyonett [34]), Bierling [35]) etc. heredita-

---

33) Procopius, Diſſ. de morb. hereditariis in genere. Erlang. 1750. §. 36.
34) Lyonett, Diſſ. de morb. hered. Pariſ. 1647. p. 82.
35) Bierling, Adverſar. Art. I. Obſerv. 63.

riam se observasse tradunt, praecipue invenitur in iis hominibus, qui valde irritabili, sensibilique cute et aetate provectiore sunt; etiam in pronis ad arthritidem et obesitatem, iisque, quibus dyscrasia occulta inhaeret. Quotannis homines quidam erysipelate periodico tali, quod certis temporibus redeat, afficiuntur, qui quidem facile alio modo aegrotant, si illud non antecesserit. Similiter cum menstruatione erysipelas apparere observatum est [36]). In mulieribus [37]), inprimis in gravidis, iisque, quae amenorrhoea laborant haec dispositio etiam frequentius conspicitur [38]).

Stagnationes in systemate venae portae, quae perturbationibus in bilis secretione et chronicis hepatis morbis causam afferunt et ipsae huc referendae sunt.

Constitutionem autem stationariam et annuam simul efficacem esse, verisimillimum est, eandem in modum epidemiae transire compluribus observationibus comprobari videtur [39]), vere praecipue et auctumno erysipelas existere consuevit; nec minus illud humido aëre provocari nonnullis testimoniis probatum est [40]). Ad sinum ochotensem a nebula algida endemi-

---

36) Con. Gmelin, Commerc. litt. 1737. p. 60.
37) Frank, Epitome de curandis hominum morbis. L. III. S. 33.
38) Chambon de Montaux, med. pract. Abhandlungen von den Krankheiten unverheiratheter Frauenzimmer. Aus dem Franz. übersetzt von Spohr. Nürnb u. Lpzg 1787. S. 298.
39) Harmand de Montgorry c. Journ. de Medicine. T. XCV. p. 104.
40) Bartholinus epistola med. cent. Haf. 1663. Ep. I. p. 205.

cum oriri eryſipelas Pallaſius refert [41]). — Munera quaedam v. c. metallicorum [42]), typothetarum illam diſpoſitionem provocare videntur. Quin homines, qui identidem eryſipelate laborarunt, et propter totalem effectum et propter inclinationem in cutis loco remanentem, altioris gradus diſpoſitionem retinent, cum leviſſima quaeque cauſa occaſionalis in illis morbum revocet. Praeſertim habitualia quae dicuntur eryſipelata hominibus aetate provectioribus cauſae ſunt, cur illam morboſam proclivitatem cutis certo loco ſervent.

B. Cauſae occaſionales ſunt:

Diaeta mala, ventriculus nimiis et concoctu difficilibus cibis inpletus, potus excitantes et ferveſcentes et aliis pernicioſis rebus adductae indigeſtiones. Porro animi affectus, praeſertim deprimentes, v. c. ira [43]), ſtomachus, timor [44]), aegritudo [45]) et terror [46]), quae omnia conſtat magnam vim in bilis ſecretionem exercere. — Refrigeria denique, quae quidem connexum inter cutem et tractum alimentarium interrumpunt, neque tamen unquam verum rheumatismum excitare debent.

Quod adtinet ad cauſalitatem eryſipelatis recensnatorum, valent in ortu veri eaedem in

41) Neue nordiſche Beitr. 4. 156.
42) Ramazzini, Abhandl. von d. Krankheiten der Künſtler u. Handwerker, bearbeitet von Ackermann. 1783. Stendal Bd. II. S. 45.
43) Bierling, Adverſar. I. p. 71.
44) Wichmann, kleine mediz. Schriften. Hannover 1799. S. 182.
45) Riedling, Millenarius n. 212.
46) Tromsdorf, Progr. Hiſt. in eryſipelatis ex terrore vehementiori etc. Erf. 1780.

universum jam commemoratae causae, inter quas diaeta mala et refrigerationes longe frequentissimae sunt; quippe quae, quo tenerior est infantum cutis, quo auctior temperatura, et corruptior aër, praesertim in tictodachiis[47]) et orphanotrophiis, cum parvuli male nutriantur et curentur, eo faciliorem influxum exercere possint. Meckel[48]) cum funiculum umbilicalem male tractatum, eoque erysipelas ortum vidisset, tamen putavit, eo demum, quod inflammatio a vena umbilicali ad hepar serperet, perturbationem bilis secretionis etc. prodiisse[49]). Qua de causa has species erysipelati spurio annumerandas esse equidem puto.

C. Causa proxima.

Si quis igitur cuncta illa phaenomena veri erysipelatis observat, neque ignorat illas supra commemoratas tres symptomatum seriis, gastricas nimirum affectiones, febrem et cutis inflammationem, dubitare non poest, quomodo oriantur, et ex nexu causali colliget, naturam erysipelatis in assimilationis organis propter anomalam bilis secretionem laesis ponendam esse, unde universalis reactio febris excitetur et materialis in cute depositio existat. Hic processus consensu inter tractum alimentarium et cutem intercedente, adjuvatur. Localis affectio cutis, quae descripto modo, sed nondum satis perspecta causa materiali provoca-

---

47) Fürstenau a. a. O., Reddelin a. a. O., Hufeland's Journal der pract. Heilkunde. Bd. X. St. 4. S. 150.

48) Sasse, Dissert. de vasorum languif. inflammatione. Halae 1797. p. 32.

49) Sprengel's Handbuch der Pathologie, 3te Ausg. Th. II. §. 346.

tur, pro varia intenſione morbi varios gradus inde a congeſtione ac locali irritatione usque ad veram inflammationem percurrit, adeo, ut in altioribus gradibus characterem mutabilem amittat, et fixa ſub cute ſubditam telam celluloſam corripiat. Varias eryſipelatis modificationes, quatenus individuali diſpoſitione efficiuntur, ſupra jam accuratius deſignavi, qua propter valde mixta momenta cauſalia concurrere poſſunt.

Caput VI.

Prognoſis.

Verum eryſipelas per ſe ſpectatum minus malignus eſt morbus, verumtamen terminos ſuos excedens et cum aliorum morborum cauſalitate ſe conjungens magnum extenſionis et intenſionis gradum adtingere poteſt. Omnino autem prognoſis ſupra commemoratas differentias ſequitur, odeo, ut in eryſipelate phlegmonoſo ſaepius ſuppurationem, atque ipſam gangraenam in mala organismi conſtitutione, conſpiciamus. Praeſertim cum cachexiis et dyſcraſiis, nervoſis et putridis febribus complicationes ſemper malum eventum praedicunt. — Eryſipelas, quod magnam cutis plagam occupat, vel ſenſim ſuper totum corpus diffunditur, ſemper periculoſum eſt, quia migrare poteſt in internas partes. Jam vero obſervandus eſt vagus character eryſipelatis propter metaſtaſin in organa interna majoris momenti. Quoad ſedem, eryſipilas cum in facie apparuit et in capite, ſemper magnam diligentiam depoſcit propter vicinitatem cerebri, quod perfacile in conſenſum trahi poteſt. Cujus ha-

bita ratione id periculosissimum est erysipelas, quod capillatam partem capitis occupat. Ipso eo tempore, quo epidermidis desquamatio incipit, jamjam translocationes in membranas cerebri pertimescendae sunt. Difficilis sanatu est illa ab habituali erysipelate remanens diathesis, quae continuum in recidiva nisum fovet, praesertim si vitia hepatis organica jam commemorata adsunt.

Prognosis erysipelatis neonatorum semper fere mala est. Quod quo plures partes, corripit, quo celerius decurrit, quo vehementiora sunt phaenomena, quibus implicatur, eo pejor exitus exspectandus est. E contrario si modo singulae partes v. c. extremitates correptae sunt, si mitior est febris, prognosis non prorsus mala est. In facie, in abdomine, in regione umbilicali, et circa scrotum semper dubia esse videtur. Nunquam vero negligendum est, neonatorum primariam universalem reactionem facile pejorem gradum assequi, et cum tenera sit organisatio, dermatitide maligna male afficere totum vitalem processum. Itaque exitus in suppurationem et gangraenam haud rari sunt.

Caput VII.

Therapia.

Cum natura in erysipelate affectione locali quodammodo utatur, ut materiam peccantem hac ratione e corpore educat, ante omnia id spectandum est, ne quid, quod eam prohibeat, sive perturbet, suam vim in affectionem localem exerceat. Reactio universalis secundum naturam et characterem in examen vocanda est. Vide-

mus quidem in levioribus caſibus ipſam naturam morbum ſanare, et via materialis criſeos ad bonum exitum adducere. At ſi majorem intenſionis gradum morbus aſcendit, quando medici auxilium neceſſarium eſt, curatio ex ſequentibus generalibus regulis inſtituenda eſt. Objecta enim curationis ſunt:

a) Status gaſtricus bilioſus,
b) febris ſecundum naturam et characterem,
c) localis affectio,
d) peculiares complicationes et degenerationes, quae apparere poſſunt,
e) terminationes ipſae, et remanens diatheſis ad recidivas.

A. Status gaſtricus per ſe ex notis regulis curandus eſt, itaque in lenioribus gradibus modo leniores exſudationes in tractu alimentario commovendae ſunt, Magneſia ſulph., Natro ſulph., Kal. ſulph., Tart. tartar., Pulpa tamarind. etc. Status bilioſus autem ſuperne vergens poſcit, ut ſemper emetica magna providentia adhibeantur, praeſertim ſi congeſtiones ad caput, ut in eryſipelate faciei non raro ſieri ſolet, adſint, priusquam emetica porrigantur, ſanguinem mitti neceſſe eſt. Poſthac etiam reſolventia ita adhibenda ſunt, ut alvi copioſae non exiſtant. —

B. Febris curatio ſecundum naturam et characterem.

α) Si adeſt ſynocha mitior illa in gaſtrico ſtatu jam expoſita curatio ſuppetit, cum febris ſaepe jam prorumpente locali affectione evaneſcat. Itaque hic nihil faciendum eſt, niſi cauſae, quae formationi localis affectionis noceant, prohibendae, et, ne affectio regrediatur, aequali tem-

peratura, et lenioribus diaphoreticis ſanatio adjuvanda.

β) Synocha gravior magis antiphlogiſtice curari debet ex. c. Nitro cum Cremore tartar. ſ. Natr. ſulph. conjuncto, regimine toto antiphlogiſtico. Quamquam etiam in hoc caſu regulae univerſales in curatione obſervandae ſunt, tamen ſanguinis detractiones[50]) caute tantum inſtituendae, quia vires vitales ſatis ſuſtententur neceſſe eſt, eo conſilio, ut opportuna diſſolutio cutis inflammationis adducatur. Nimia ſanguinis miſſione etiam facile repulſio ad interna effici poteſt, affectione locali remota. Si autem febris altiſſimum gradum adſcendit, ſi cerebri affectiones etc. accedunt, denique ſi eryſipelas eſt phlegmonoſum: iſtarum cautelarum non habenda eſt ratio.

γ) Febris aſthenica, nervoſa et putrida.

Febres hujusmodi, quae tamen raro eryſipelas comitari ſolent, per ſe ex notis praeceptis curandae ſunt. Sin neceſſe eſt, ut colluvies biliosa ex primis viis removeatur, emetica remediis exſudationes in tractum alimentarium provocantibus praeferenda ſunt, quoniam diligenter vitandum eſt, ne vitalis proceſſus etiam magis debilitetur.

C. Curatio cutis affectionis,

α) eryſipelatis ſuperficialis.

Propter vim ſupra jam in univerſum commemoratam affectio pro criſi habenda eſt. Haec autem et notus eryſipelatis ſuperficialis character erraticus efflagitant, ut affectio fixa retineatur, dum, remotis cauſis, natura ipſa ſanationem in-

50) Frank, Epitome de curandis hominum morbis. L. III. p. 59.

choet. Remedia, quibus optime propulſentur ea, quae affectionis proceſſui nocent, quibusve ipſa optime figatur, ſunt: aequalis temperatura, prohibitio aëris perflantis; porro aegrotans contra animi affectus, inprimis deprimentes, qui facile ſuppreſſionem adducere poſſint, muniatur; diaeta ſit blanda; affecta plaga panno cerato obtegatur, panni calefacti, pulvinaria furfure herbisve impleta admoveantur. Haec eſt, ut experientia docet, maxime probata ratio ſimplici et puro eryſipelati medendi. Applicatio hirudinum, cucurbitularum [51]), ſcarrificationes [52]) hic nocent. Refrigerantia topica, jam a Celſo laudata [53]), a Pietſch [54]) aliisque [55]), in omnibus eryſipelatis formis commendata, facile exitialia evadere poſſunt repulſo ad internas partes malo [56]). Quibus remediis uti tantummodo licet, quando cutis affectio verae inflamationis gradum adepta eſt.

β) Curatio eryſipelatis phlegmonoſi. In hoc contra veram cutis et ſaepe etiam telae celluloſae inflammationem agendum eſt, nec minus contra ſynocham graviorem tanquam comitem, et antiphlogiſticum regimen ratione habita extenſionis et intenſionis morbi ſuum locum habet; dummodo ne ſupra jam commendatae cau-

---

51) Ephemerid. Nat. D. I. N. IX et X. Obſ. 71.
52) Friend, Hiſt Med. p. 46.
53) Celſus, de Medic. ed. d, Krauſe. Lipſ. 1766. L. c. c. 26. p. 302.
54) Pietſch, von den wahren Quellen u. Urſachen des Podagra ꝛc. Halle 1772. S. 245.
55) Danter, vom äußerl. örtlichen Gebrauch des kalten Waſſers in verſchied. Krankheiten Lpzg 1784. S. 57.
56) a Moinichen, Obſervationes medico-chirurgicae. Hafn. 1665. p. 7.

telae negligantur. Modo universali, modo locali, v. c. applicatione hirudinum, et incisionibus modo utraque sanguinis missione opus est. Topice saepe utilia comprobata sunt epithemata frigida, quae quidem, si iis intensio inflammationis coerceri non potuit, cum calidis cataplasmatis ex decocto Samb., Malv., Con. maculat., Hyoscyam., capit. papaver. etc. praeparatis, commutanda sunt. In stadio decrescentis morbi idem valet, quod in erysipelas superficiale praescriptum est.

γ) Curatio erysipelatis pustulosi.

Cum praesertim cachectici et dyscratici hac specie laborent, Hydrarg. muriat. mit. et Antimonialia, saburra remota, omnium remediorum primum obtinet locum; et ipsae species ad decoct. lign., in principio serum lactis etc. prosunt. Omnino autem eaedem, quae jam supra propositae sunt regulae hic quoque valent.

Praeterea vesiculae aperiendae sunt, ut acre contentum effundatur; loca vulnerata, postquam exsiccata sunt, mucilaginosis, flore lactis, butyro recenti, ol. amygdal. rec. parat. etc. emollienda sunt. Ceterum curatio ad extensionis et intensionis gradus morbi moderanda est.

δ) Erysipelatis oedematosi, quod ab eo tumore oedematoso, qui in hydrope conspicitur, probe dignoscendum est. Causalitate remota, flagitatur externe et interne excitans tractatio, secundum quam pulvinaria aromaticis herbis c. camphora etc. referta imponantur, quod quidem huic speciei optime respondet. Burserius [57]) commendat tibialia vel chirothecas, si erysipelas

57) Burserius de Kanifeld a. a. O. S. 34.

hoc, quod frequentius accidit, in extremitatibus obvenit.

D. Curatio eryſipelatis quoad ſedem,

α) Eryſipelatis faciei. Quum quod jam memoratum eſt, eryſipelas hoc facile ad membranas cerebri inque cavitates capitis penetret, major medici diligentia poſtulatur. Subita remotio cauſalitatis, gradui reſpondens antiphlogiſtica tractatio commendandae ſunt; exſudationes in tractum alimentarium, potiſſimum uſus hydrarg. muriat. mit. magna commoda praebent;

β) Eryſipelatis mammarum. Nulla alia niſi propoſita tractandi ratio hic adhibenda eſt. At ſi ſtagnatio in vaſis lactiferis lactantium orta fuerit, et eo modo glandula mammalis morboſe affecta, curandum erit, ut liber fluxus lactis ſuſtentetur.

γ) Eryſipelas trunci et extremitatum omnino ex praeſcriptis regulis ſe movendum eſt. In hac ſpecie, ſi characterem intenſivum phlegmonoſum prae ſe fert, praeſertim inciſiones utiles eſſe dicuntur.

δ) Eryſipelatis univerſalis, quod paulatim totum corpus peragrat, plerumque cum dyscraſiis conjungitur, atque adeo mixtam cauſalitatem oſtendit. Eſt itaque haec forma ex iis, quae omnium difficillime ſuperari poſſunt propter dictam complicationem. Adhibitis omnibus, quae jam ſaepius in tractandis ſingulis formis propoſita ſunt, corrigantur et augeantur in primis ſecretiones et excretiones, ope ſer. lact. Calom. et antimonialium. Curatio localis eadem eſt atque in eryſipelate ſuperficiali.

ε) Curatio repulſi, quod dicitur, eryſipelatis, de quo ſupra ſaepius ſermo fuit. Duo objecta, quorum e tractatione felix eventus dependet, hic medicum occupant; primum retrogreſſum eryſipelas, quam celerrime poſſit, revocet; quod ſi fieri non poteſt, deinde recens ortum morbum ſanet ratione ad morbi characterem et naturam apta. Ad illud aſſequendum, locus, qui correptus eſt, fortiter fricetur, cucurbiculae ſiccae applicentur, calida tegumenta, inunctiones ungt. volatil., et irritantium; ſinapismi et veſicatoria adhibeantur, aegrotus ſe immittat in balnea, quibus Kal. cauſt. admixtum eſt; et interna remedia porrigantur: Camph. Liquor ammon. ſuccin., ammon. carb. pyroleos., ol. animal. Dippel., Moſchus, Opium et alia hujusmodi volatilia et excitantia, turgeſcentiam cutis augentia remedia. Haud raro emetica ad eryſipelas revocandum efficacia fuiſſe dicuntur, tum potiſſimum, cum neglecto gaſtrico ſtatu nimia perturbatio vitalitatis ſyſtematis gangliorum exſtitit, et in his cauſa retroceſſionis indagata eſt. — Ad illum retroceſſione eryſipelatis provacatum morbum ſanandum, character ejus diligenter perpendi debet, qui ſaepe formam inflammationis aſſumit. At vero etiam ſubita paralyſis ab organo centrali aliquo correpto proficiscens obſervata eſt, cui occurri oportet; ſemper vero in eo ſtudium ponendum eſt, ut derivatio in cutem fiat.

E. Curatio morborum ſecundariorum.

Semper fere accidit, ut in vehementiori eryſipelate tumor oedematoſus remaneat, etiamſi inflammatio ratione accomodatiſſima tractata fuerit. Leniter irritantia et diſſolventia pulvina-

ria v. c. ſpecieb. discut , aromaticis cum camph. referta, hunc morbum tollere ſolent. — Rarius ſuppurationem ſequi videmus. Emollientia cataplasmata, acupunctio maturi abſceſſus, vinctura, qualem docet chirurgia, et ulcerationem impedientia remedia adhibenda ſunt. — Gangraena ex inflammatione eryſipelatica oriens nullam aliam tractationem niſi notis regulis praeſcriptam depoſcit. Indurationes eorum locorum, qui ſaepe et identidem eryſipelate laborarunt, optime ſolvuntur linimento ammoniat. camphorat. cum ugt. ciner., emplaſtris reſolventibus etc. — Denique quod adtinet ad diatheſin ad recidiva, quam in morboſo conſenſu inter hepar et cutem ponendam eſſe, et quaſi eryſipelas habituale efficere ſupra dictum eſt, praecipue ſunt dyscraſiae, anomalae haemorrhoides, arthritis, et cutis propria ſenſibilitas, quas medicus curans circumſpicere debet. Propter ſtagnationes in ſyſtemate venae portae, et inde orientes hepatis affectiones morboſas ſaepe neceſſe eſt, ut plethora abdominalis deminuatur, vel haemorrhoides fluentes provocentur. Huc referantur illa ſanguinis circulationem liberantia, quae dicuntur remedia reſolventia. Dyscraſiae per ſe tractandae ſunt. Omnino autem varia momenta cauſalia ex ſua dignitate aeſtimanda ſunt, quo facto, videamus, ut organum dermaticum corroboretur, ita potiſſimum, ut omnes ſecretiones et excretiones, praeſertim cutis, leniter adaugeantur; balneis lenioribus reſolventibus et diaphoreticis. Ill. Berndt [58]), omnibus complicationibus ſub-

---

58) Encyclopädiſches Wörterbuch der med. Wiſſenſchaften. Bd. XI. Hft III. S. 503.

latis insequentem pulverem utilissimum expertus est:

℞ Guajac. ℥β Sulphur. depurat., Pulv. rad. rhei, Elaeosacch. foenicul. ana ʒij. MDS. Täglich 2mal einen Theelöffel voll zu nehmen.

F. Curatio erysipelatis recensnatorum.

Quae supra de hoc morbo dicta sunt, diversissimis quoque huic medendi rationibus ansam praebuerunt. — Verum recensnatorum erysipelas ex iisdem in genere propositis normis curari debet; et illa tria objecta etiam hoc loco statuenda sunt:

a) perturbata digestionis organa in integrum restituenda, saburra ex illis ope emeticorum, si necesse videtur, removenda: Tart. rhei aq. cum vin. stibiat. auctore Heyfelder. Semper leniter resolventia remedia v. c. Saturat. Kal. carbon. cum syrup. mannae utilia sunt.

b) Reactio universalis, quae quodammodo, mite erysipelas comitatur, antiphlogisticis et leniter solventibus medicamentis levanda est, e. c. Hydrarg. muriat. mit., nisi superior saturatio suppetit, maxime commendandus est; in gravioribus gradibus ipsa hirudinum applicatio necessaria fit. Gravior autem localis affectio in tenerum infantium organismum duplicem vim exercere potest, ita ut aut inflammatoria febris adaugeatur et exinde inflammationes v. c. cerebri membranarum oriantur; aut ut totum nervorum systema morbose afficiatur; unde maxime variae deformationes primarii morbi

ſtatus excitari poſſunt, quarum una quaeque ſecundum proprietates ſuas curanda eſt. Si morbi imago characterem nervoſum prae ſe fert, tepida balnea, Moſch. c. Calomel. etc. commendanda ſunt. Ceterum in deformationes, quarum mentionem fecimus, raro ars ſatis efficax eſt.

c) Localis affectio eandem depoſcit curam, quae in variis differentiis eryſipelatis veri adultorum praeſcripta eſt; eandem ſecundarii morbi; ſemper autem modificationum, quae ad infantilem organismum pertinent, habenda eſt ratio.

CURRICULUM VITAE.

Ego *Oswaldus Carolus Stockmann*, ecclefiae evangelicae addictus, natus fum in Thuringiae pago Neunheiligen, anno hujus faeculi nono patre *Chr. Stockmann* paftore, quem mortuum quam maxime lugeo, et matre e gente *de Bofe* adhuc fuperftite. Primis literarum elementis in Gymnafio Martisburgenfi inftructus; Gymnafium, quod Dresdae floret, per aliquot annos frequentavi, et poftea iterum Martisburgum redii.

Anno h. f. vicefimo feptimo Jenenfem adii mufarum fedem, et ab Ill. *Fries*, t. t. Rectore, inter cives academicos receptus theologiae operam dare coepi. Sed cum abhorreret animus meus ab hoc ftudio, academiam Jenenfem reliqui, et in litterarum univerfitatem Lipfienfem me contuli MDCCCXXVIII. In civium academicorum numerum ab Rectore Magnifico Ill. *Müller* receptus, Albo ordinis medici infcriptus, medicinae ftudium aggreffus fum. Scholae, quibus interfui, hae fuére: Chemiam me docuit Ill. *Erdmann*. Botanicen Ill. *Schwägrichen*. Phyficen Ill. *Brandes*. Anatomiam et phyfiologiam Ill. *Weber*.

Anno MDCCCXXIX Magdeburgum profectus, poftquam militandi officio fatisfeci, in inftituto medico-chirurgico hisce ufus fum fcholis; de chemia theoretico-practica, phyfice, botanice, ofteologia et fyndesmologia, anatomia generali et phyfiologia, pathologia generali, arte fascias rite adligandi, materia medica.

Anni MDCCCXXXII autumno Magdeburgnm cum alma Gryphia commutavi, ubi a Rectore Magnifico Ill. *Schömann* numero civium academicorum adſcriptus ſum. Inſtitutiones et theoreticae et practicae, quibus interfui, ſunt, quae ſequuntur: Seholae de materia medica, de pathologia generali, de arte fascias rite adligandi, de chirurgia ſpeciali Ill. *Seifert*; de pſychologia Ill. *Stiedenroth*; de logice Ill. *Erichſon*; de mineralogia Ill. *Hünefeld*; de botanice Ill. *Hornſchuch*. Anatomiam pathologicam et artem cadavera rite diſſecandi me docuit Ill. *Schulze*. De chirurgia generali et ſpeciali, de morbis oculorum, de akiurgia Ill. *Mandt*; de pathologia ſpeciali, therapia generali et ſpeciali, de arte obſtetricia, de animi morbis Ill. *Berndt* diſſerantes audivi.

Clinico medico et obſtetricio, nec minus converſatorio clinico ore latino inſtituto uſus ſum duce Ill. *Berndt*. Clinico chirurgico et ophthalmiatrico, etiam operationibus chirurgicis in cadavere inſtitutis duce Ill. *Mandt*.

Quibus omnibus viris illuſtriſſimis et experientiſſimis pio gratoque animo ſemper addictus ero, nec unquam horum virorum memoriam, dum vivam, grato recolere animo deſinam.

Examine philoſophico, nec non tentamine atque examine rigoroſo medico, cum ſummi ſenatus res ſacras et medicas curantis ſpeciali venia feliciter ſuperatis, ſpero, fore, ut diſſertatione theſibusque adjectis rite defenſis, ſummi utriusque medicinae honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Pulſus ad cognoſcendos morbos, ſignum minus certum eſt, quam haberi ſolet.

II.

Nulla remedia antiſyphilitica ſatis certa exſtant, praeter Hydrargyrum.

III.

Liquor amnii nutriendo foetui inſervit.

IV.

Vias urinarias clandeſtinas ullas eſſe, nego.